Syrupi de Nymphæa lib. j.
Succi Raphani ℥ iij.

Repetatur coctio, donec reducatur ad conſiſtentiam Mellis.

Electuarium vitreo vaſe excipiatur; & condatur ad uſus.

ELECTVARIA ALTERANTIA.

Electuarium contra vermes.

℞. Farinæ Lupinorum ʒ ij.
Corallinæ Dictamni albi ana ʒ j. ß.
Cornu Cervi, Sem. Caulium, ana ʒ j.
Rhabarbari ʒ ß.

Fiat pulvis, dividendus in duas partes. Vtraque pars coquatur ſeorſim, cum Sacchari in aqua Graminis diſſoluti ℥ iij. Sed uni parti adde Diacrydii ℈ ij. Trochiſcorum Alhandal gr. vj.

Diacodium ſolidum.

℞. Capitum Papaveris albi cum ſuis ſeminibus, quantum voles: Coque: fortiter exprime. Decocti expreſſi libra una coquatur cum altera libra Sacchari, ad conſiſtentiam Confectionis Manus Chriſti, rudicula aliquamdiu agitando. Ser-

Servetur ad diſtillationes ferinas.

Poteſt parari candidius & ſuavius ex ſolo ſemine, ſed minus efficax.

Philonium Perſicum Meſuæ.

Pilonium Romanum Nicolai.

De Baccis Lauri Raſis.

Diaſatyrium. (*Nam & huius uſus ſæpiuſcule neceſſarius eſt.*) *Ex tribus autem eius deſcriptionibus, ſequens præfertur Fernelio.*

Diaſatyrium Fernelii.

℞. Radicis Satyrii, recentis ac ſolidæ
Radicis Paſtinacæ ſativæ Rad. Eryngii
Nucis Indicæ Strobilorum
Piſtaciorum ana ℥ j. ß.
Caryophyllorum Zingiberis Aniſi
Sem. Erucæ Sem. Fraxini ana ʒ vj.
Cinnamomi Caudarum Scincorum
Seminis Bulbi ana ʒ ij. ß.
Moſchi gr. vi.
Mellis optimi deſpumati ℔. iij.

Radices tuſæ coquantur ex melle, & ſubigantur: Deinde Nux Indica, Strobili & Piſtaciæ tuſæ ſimiliter adiiciantur. Poſtremo etiam reliqua exquiſite trita.

Theriaca trium ætatum.

Mithridatium Damocratis.

Alkermes Meſuæ, *ex infuſione Serici crudi, & Syrupo Kermeſino, cum Ambra tota. Nec cum illis erres, qui falſis ducti rationibus, di-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-134363-p0661-3

midiatam tantum ponunt, & Compoſitionem reddunt minus efficacem; &, ut ita dicam, minus ſpiritualem. Calor Ambræ, inquiunt, in regionibus Septentrionalibus & frigidioribus metuendus eſt, quia in his interna magis calent. Ridicule. Certe interna magis calent, ſed calido innato, hoc eſt, temperato & humido; non acri & ſicco. Quod ſi hæc Ambræ quantitas in regionibus Meridionalibus, ubi calor & acrior & ſiccior eſt, calore non nocuit, multo minus in noſtris, ubi mitior calor eſt, & humido temperatior, ac quantitate tantum excedens, non qualitate. Ni hæc vera ſint, æſtate quam hyeme calida convenientiora; & male Hippocrates libro De diæta idiotarum dixerit, Hyeme parcius & meracius bibendum; æſtate largius, ſed dilutius. Eadem enim ratio regionum, quæ temporum.

De Hyacintho, deſciptione Iouberti, *quæ hæc eſt.*

Electuarium de Hyacintho Iouberti, ad obſtructiones hepatis & lienis.

℞. Limaturæ Chalybis uſtæ in crucibulo donec rubeat, & diligenter in mortario tritæ, ſine exſtinctione, ℥ iiij.
Diarrhodon Abbatis
Aromatici Roſati ana ℥ j.
Thymi Epithymi Cinnamomi ana ℥ß.
Ex una parte, additis pulveris Hieræ picræ ʒ vj. cũ Syrupo de Artemiſia fiat maſſa

Pilu-

Pilularum: ex altera, cum octuplo Saccharo fiant tabellæ ponderis drachmarum duarum aut trium. Saccharum coquatur cum parciſſima aqua. Vbi optime deſpumatum fuerit, pulveres indantur, & continue agitentur, ne Chalybs in imum reſideat. Mediocriter cocta, & paulo minus quam Saccharum Roſatum, defundantur ſupra marmor aut chartam; manibus ſubigantur, aut ſpathula agitentur; & formentur tabellæ; ne, ſi immotæ refrixerint, cavæ reperiantur.

Reſtat Electuarium unum, Reſumptivum *dictum, ad reſtaurationem virium, in iis qui diuturno morbo contabuere. Sic autem deſcriptum à Fernelio.*

Electuarium Reſumtivum Fernelii.

℞. Roſarum rubrarum
Glycyrrhizæ ana ℥ ij. gr. v.
Gummi Arabici
Tragacanthi ana ℥ ij. ℈ ij.
Santali rubri & albi ana ℈ iiij.
Succi Glycyrrhizæ Amyli
Seminis Papaveris albi
Portulacæ Lactucæ Scariolæ ana ℥ iij.
Quatuor ſeminum frigidorum maiorum
Sem. Cydoniorum Malvæ Bombacis
Violarum Strobilorum
Piſtaciorum recentium

Amygdalarum dulcium
Pulpæ Sebeſten ana ʒ ij.
Caryophyllorum Spodii
Cinnamomi ana ʒ j.
Croci gr. v.
Penidiorum ℥ ß.

Terantur: excipiantur triplo Syrupo Violaceo. Fiat Electuarium molle.

TROCHISCI.

De Agarico.
Alhandal, ſive de Colocynthide.
De Karabe.
De Myrrha Nicolai.
Albi Raſis { cum Opio. / ſine Opio. }
Gordonis apud Bauderonem.

Trochiſci Andronis.

℞. Cytinorum ʒ x.
Gallarum ℥ j.
Myrrhæ Ariſtolochiæ rotundæ ana ℥ ß.
Chalcanthi Aluminis ſciſſilis
Myſios Cyprii ana ʒ ij.

Excipiantur paſſo. *Antiballomenon, ſive Succedaneum Myſios ſit Vitriolum vetuſtum, uſtum.*